...nes Ecclesiasticae

Malicki B. C. Invictum Christianitatis ante-
murale B. Joannes Cantius.

1083

JNVICTVM CHRISTIANITATIS ANTEMVRALE B. JOANNES CANTIVS

in solenni annuæ festiuitatis recursu
publico pro rostris suis eloquio
in Collegiata B. M. V. Posnanień Basilica,

ERECTVM.

atq; eximio candori.

PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI

D. NICOLAI ZALASZOWSKI

I. V. D. CATHEDRÆ POSNAN: CANONICI.

Præpositi Kostrzynensis, S. R. M. Secretarij &c.

DEDICATVM

per M. B. C. Malicki, Philos: D. & interea in Lubransciano Academiæ Posnanień Collegio Rhetoricæ Professorem.

Anno

LIbera DVM eX GetICo perfaVsta VIenna fVrore. 1683

POSNANIÆ. 1683
Jn Typographia Rńdi D. Alberti Láktański.

In Gentilitium Inſigne

PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI



Epigramma.

Horrida Gorgonei capitis ſpectacula quiſquam
Ne cenſe; nil hoc vertice ſiſtit atrum.
Non hoc proſpectæ lapidantur culmine mentes,
Nil tanto viſu Cepheis ulla gemit.
Scit tamen hocce caput quandam bene Phorcydis artem,
Inſcia nam hinc callent pectora, docta ſtupent.

PERILLVSTR: & REVERNDMO DOMINO.
DEDICATIO

PRincipem Academicæ felicitatis Diuum CANTIVM non potiùs alteri quàm NICOLAO dicari, nec in alio Inuictum hoc Christianitatis Antemurale fundo locari fas erat: quàm in gremio Tuo PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE. Amat quippe Diuus hic non alibi suam fundare sympatiam, quàm vbi aureum non obrizi ast cordis candorem candida NICOLAI denotat notatio. Amat tantum Antemurale non in alio sistere sinu, quàm vbi numerosa virtutum propugnacula sinuoso insinuantur gyro. Humanum statum censuere quidam tum fore beatum, si vel Philosophi regnarent, vel Reges philosopharentur; supparem munimentorum dum voluo stationem, quis resistit? tum firma fore statuta Christianorũ Antemuralia, cùm & illa virtutibus compacta, & tenacibus virtutum fundis collocata. Quantis Diuum hoc Antemurale probitatum dotibus coagulatum in publicam nominisq́ꝫ sui famam, tutamenq́ꝫ populi erectum sit, vix ille non videt, cui Cimmeriæ gentilismi obscuritates salutarem inuidentes lucem cum talpis lucidam sinunt videre salutem. Quanto autem peroptat statui gremio, dum ego tacitam eius intra me regero venerationem, veneranda rerum Tuarum magnitudo, ut potè eximium pietatis decus, singularis in Musas beneuolentia, perennis in magnanimitate perseuerantia, indefessa in speculationibus sublimitas, stupenda in discernenda Themide oracula, iudiciosa iustitiæ administratio, matura assertorum præuidentia, prouida agendorum animaduertentia, infracta quorumuis pro Ecclesia Dei laborum tolerantia, spatioso orbe immensa impleuere spatia. Dulcem eousq́ꝫ reuoluunt Cracouienses Athenæ Tui memoriam, desertaq́ꝫ Academiæ limina se in desolata censerent degenerasse deserta, nisi mallent & inter prima reputarent solatia nunc eminus fauentissimum colere Fautorem, quem meruere quondam meritissimum cominus gerere Cultorem. Gloriantur tanto Nomine Posnaniensis Academiæ gubernacula, cui assuetus quasi iam innatus fauor Tuus eas lenissimè inspirat etesias, quibus medios inter immaniũ Siriorum æstus lentissimè respirat. Exedræ Doctorales pro rostrisq́ꝫ Divûm

pro

pro manuductioneq́ proximorum flagranti charitate tot annorum volumini-bus volutatæ orbatas se tanto decore non indecorè dolerent, nisi etiam hac-tenus viuis Tui gaudentes afflatibus continua consiliorum patrociniorum-que ornamenta redolerent. Quidni tandem matura Diuæ Themidos Spar-ta iure emeruerit tantum Posnaniensis Areopagi moderatorem, quem inter Areopagitas alterum velut Lycurgum colebat, stupebatq́ Solonem. Taceo demum immensas dotes Tuas, dum enarrandis eis multum impar, nec tam strictò literarum codice, nec tam sterili præconio dignè correspondeo. Lu-bransciana tamen Pallas imò quæq́ Academica Musa vetans tantum No-men immensa laude dignum emori, ampliora dum debita Magnitudini Tuæ encomia parare tenebitur. Dum verò & ipse ingenuè illa asserta fateor Paulum sepultæ distat inertiæ celata virtus, *iactarem amplius cum præfatorum assertore:* Non ego Te meis chartis inornatum sileri, totue Tuos patiar labores impune carpere liuidas obliuiones: cùm multi fortes illachrymabiles urgentur ignotiq; longâ no-cte, carent quia vate sacro; *nisi maturior Phàëton conijciens non esse mortale quod opto, maturioribus ingenijs enarranda Virtutum harum do-gmata reseruarem. Vnicum ergo hactenus restat ad sinceri coronidem voti, vt vbi in solenni D. Indigetis Tui recursu fauentem erecto Antemu-rali expeto sinum, corde quod gero, ore quoq́ cum Pöëta egeram:* Tardû sereni partibus ætheris Te sidus addas, neu properes citus men-sis reclinari, & fauentûm ambrosijs accubuisse Divûm. DIXI.

PERILLVSTRIS ac REVERENDISSIMÆ DOMINA-TIONIS VESTRÆ

Humilimus seruus, M. B. C. M. P. D.



ORATIO.

FEralc Tritonis claſsicum & curtam Sagi tefleram an dulce præoptatæ ſecuritatis occinam melos, & munitæ applaudam Togæ, non æquè certus in præſenti conſpectu ſiſto. NN. Liquefit Vlyſſis cera, nec ſatis obſtructis prodeſt auribus, & obcæcatæ talpæ lyncæis agunt pupillis, imòque ipſe lethargus vigiles reddit animos, verbo dicam auris nulla oculus nullus nullaque mens non animaduertit, quid per Germaniam Hungariam Poloniamque hoſtilium armorum ſtrepitus detonare, quid barbaræ hoſtilitatis rigor depopulari moliuntur. Hìc rebellis Hungarus machinatur dolos, hìc immanis Thracus acerba pandit tenroria, hìc pharetratus Scythes Cydonium intendit arcum, hìc atrox Pharthus venenata retorquet iacula, hìc ferox Moldauus ancipites explicat enſes, hìc fœdifragus Valachus ſæuis minatur tormentis, hìc infeſta Muſurmanorum rabies non fidelium tantùm latitantes quaquauersū cætus ſed ipſos muros, extremaq; fortalitia acerbiſſimis quatit baliſtis. Sanè etiam extrema hæc Maioris Poloniæ nequidquam nos tutabitur ora, niſi tantæ ferocitati firmum quempiam obicem ocyus obijciamus. Euge euge meliori tandem perturbatæ mentes alantur entheo, toties olim ex-

pertum

pertum, quoties candidis fidelium imploratum votis, rursus iam iam nostris accliuem intentis & iterum sese offerentem mysticum cerno murum Beatum IOANNEM CANTIVM, cuius sanctitas & sapientia ex quo immensâ Cælitum prouidentiâ luculenter orbi Christiano enituit, velut inuictum quoddam propugnaculum cunctorum S. Ecclesiæ hostium rabiem non præsepiebat tantùm, serpereque prohibebat, sed arcebat atterebatque. Quis ampliùs horrendis attonitam classicis mentem in securiorem metamorphosim reformare tardabit, primisque non pascet triumphis? si Beatus hic qui prope tribus sæculis quantumuis minore in militante Ecclesia tractatus honore, firmum se pro Christianorum rebus offerebat fortalitium, sæpeque solius ritu Coclytis non terrestris sed auernalis nocentes turmas Porsenæ Diuini permissu Numinis à tota Christianitate iam iam instantes ponti ceu fortis Hector Achiuos sustentabat, multò maiori nunc beneuolentiâ vbi condignis recenter à sancta Sede Apostolica allectus honoribus nouum nobis Antemurale desiderari cõspicit, tantum opis patrocinijque præstare non retractauerit. Ausim ego afflictæ temporum vicissitudini nostrorum hanc inaugurari felicitatem, imòq; confidenti submissione non fabrili. Bryaxis Leocarisque arte, sed voto in laudes Diui feruente, affectu in Patriam flagrante, ore non cum Stesichoris quidem ad præconia inaugurato, pectore tamen encomia spirante, Beatum IOANNEM CANTIVM Inuictum Christianitatis Antemurale non adstipulantibus cuiuspiam Apellis Pharrasijque penicillis

adumbrabo, sed plenis veritate documentis repræsentabo. Periculosæ dum aggredior plenum opus aleæ, tuam o firmum Antemurale benigne Pater, B. IOANNES CANTI indignus licet, sed supplex filius imploro tutelã, dum mille clypei pendent ex robustis tuæ fortitudinis muriq; tui turribus, vel unico protectionis tuæ scuto circumdet me laudum tuarum veritas,& præpedientes hactenus ab ore animoque meo intercipiat balistas, donec fragili genio mystici muri Tui, Tuarum inquam perennium dotum si non supremum quodcunque saltem tetigero fastigium. Persistite precor attenti NN, dumque alibi tutum nihil cernitis, hìc securas expandite mentes, mihique Inuictum Christianitatis Antemurale expandenti non minùs profundas in patrocinantibus animis beneuolæ attentionis bases iacere, quàm adspirantibus votorum propensionibus excelsa laudum attingere fastigia non retractate.

Tumida Spartanorum temeritas non unquam suorum pectora virorum hostili obiecisset rabiei, nec toties triumphanti malè concredidisset impetui, si quæ irrita credidit fortalitia, iustè profundis basibus muniuisset. Mitiora Lechorum sæcula, ne rigidâ incircumspectâq; legum seueritate heroicos in discrimen & ineuitabilis molem periculi perducant animos, mysticum nobis murum ab ea quæ firmissima & inuictissima est profunditatis nam humilitatis base vt inchoauere sic perfecere Quid verè humilitas est? quàm pacis domicilium, quietis Mater, irarum sedatio, seditionum confusio, specimen innocentiæ,

spes firma salutis, cæli hereditas, ac ipsius demum æterni Numinis in benignum Patrem adoptio. *Magnus esse vis* (monet D. Augustinus) *à minimo incipe: cogitas magnā fabricam construere celsitudinis, de fundamento priùs cogitabumilitatis: & quantam quisque vult & disponit superimponere molem ædificij, quantòque erit maius ædificium, tantò altius fodit fundamentum. Quisquis cupit Diuinitatis tenere fastigia* (loquor cum D. Maximo) *humilitatis ima sectetur. Humilitas* siquidem (ut prudentissimè Diua perspexit Brigitta) *est scala, quâ de terra ascenditur in cor Dei.* Primùm vitales murus noster vix capit carpitque auras: non sæculari Thebarum jubilo inauguratus, non fraudulento Laomedontis pacto instauratus, sed solâ humilitatis innixus basi felix ad sublimia virtutum incrementa ita prono attollitur cursu, ut quicunque triennalem notares Cantium, rediuiuum super terras crederes Baptistam, dum & ille nihil se se præter vocem clamantis in deserto reputans, non cuiusuis calceamenti corrigiam dignum soluere perpetuò professus: Necdum fortassè memorandam illam Diui Petri subaudiuit, & iam didicit impleuitque doctrinam: *Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis*, priùsq; facto suo quàm Diui Iacobi scripto expertus. *Deum superbis resistere, humilibus autem dare gratiam.* Necdum alibi legerat, & iam in operibus suis legi videbat illud D. Bernardi: *Verus humilis, vilis vult reputari non humilis prædicari, gaudet contemptu sui, hoc solo sanè superbus, quòd laudes contemnat.* Enituit non ab imis tantùm an-

norum

norum basibus sed nullo non vitæ tempore in eo tanta profunditas, vt si spectes illum perpetuum mundi honorumque contemptum, illum humilem de se suisque talentis sensum, non aliud quidpiam, quàm profundam humilitatem, humilem animi spectabis profunditatem. Felix tam præclaro oppidum vulgo Kenty muro, fausta inquam tanto Patria filio, dum rudibus sanctæ fidei piorumque literariæ disciplinæ institutorum falcibus ultra decem sexenni perpolit annorum volutabro, non ampliùs tantæ capax amplitudinis, ad principalem Regni Metropolim Cracouiam relegat, non inuanum rata non priuato sed publico Lechorum tutamini cælitus prouisum fore propugnaculum. Perge faustis auibus Diue Adolescens, quò te grata Patria non Ismaelticis execrationibus, sed millenis benedictionibus suum simul transfert simulque prosequitur murum. Inter præcipua muri attributa, judicium praxisque monstrat ruderum duritiem: in mystico muro nostro quid ego durum dixero duxeroque? dum fronte oculis ore cunctisque actionibus nil præter mitem lenitatem spirare video. Cedite siuè ferrea trochlearum tenacitate conspissa quondam Tyriorũ propugnacula, siue artificijs naturâ applaudente excelsâ rupe nitentia Susorum fortalitia, jam lenia veluti mollibꝰ Canusini velleris obarmata sarcinis maioris erũt pretij propugnacula, dum viuum hoc lenitatis documentum docuit firmissima sperare tutamina. Est tamen sua & huic lenitati durities, nec alia quàm illa pertinax constantia, quâ dum semel ab ineunte ætate æternum uniuersi Do-

minum

minum amplecti prosequique cœpit, ceu adamantinum quodpiam robur nullo auernalis hirci cruore, nullis inquam omnium tribulationum minis, imò nullius stygij Annibalis non aceto sed felle acerbioribus amaritudinib⁹ frangibilem, nam ipsis constantiorem Alpibus eousq; præseferebat mentem, ut auernalium Pænorum non domicilium tantùm sed meatum quoque imò omnem conatum eminus excluderet eluderetque. Plerumque leuis ac paulum constans iuuentus serijsque non libens intenta, illud de iuuene dicentis Horatij sæpenumero claro adimplet spècimine:

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Vtilum tardus prouisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusque & amata relinquere pernix.

Quod ipsum expertus Cicero breuibus comprehendit inquiens: *Voluptate & delicijs facilè iuuentus intercipitur.* Confirmatque D. Ambrosius dicens: *Vicina est lapsibus adolescentia.* Octauam supra decimam Diuus noster vix capit usuram anni, & iam nihil spirans tenerum, sed totus maturæ amans sapientiæ, post felicia eruditionis rudimenta, subtiliora scientiarum professurus incrementa, primâ nec multo post secundâ laureâ redimitur. Quò precor Diue Canti teneram stringis ætatem? laboriosæ plenum opus assumis aleæ, dum ludis adhuc feruentem magisque spatiationibus accluiem graui laborum ponderi allidis iuuentutem? Non una tibi cum Cleanthe insomnē traducet lucerna noctem, nec vna vigili genio salutabitur aurora, si Musis amicū pectus fideli dicas animo. Non

hic

hic Caballino fonte lauantur labra, virium ſed quidquid eſt, viriliter impendes, impedimenta ſciendi antequam tolles. Itane faſtuoſæ ſpretis luxibus ornamentiſque auræ, paupertate, ſedulitate, inuidiâq; zoilorum ſtrictam & preſſam eligis Academicam ſtationem? *Non tot caducas educat frondes Eryx, nec vere flores Hybla tot medio creat; fluctuſq; non tot frangit Jonium mare,* quot perplexitatum, ſarcaſmorum, variarumque labyrinthi tribulationum velut cum Theſeo tibi tranſmeandi, priuſquam diuinior Ariadna, Pallas inquam extenſo ſcientiæ filo præfixum te in ſcopum vindicabit. Quid Divus? non ignarus *in molli non iacere venerandam ſcientiam lecto*, imoque vitæ breuis artis longæ nihil anxius, totus laude flagrans Diuinâ, totus Chriſti raptus amore, totus in Cælites pronus credita ſibi talenta ne foderet, quaſi renatus Paulus generosè decernit ſecum *Quis me ſeparabit à Charitate Chriſti?* quippe Diuinum ut ampliaret honorem, non difficultatum duntaxat ſed cunctarum genera calamitatum ſanitatiſque ac vitæ propriæ inſtantia diſcrimina conſtanti iudicio vel ſpreuit vel tolerauit. Fundi ſoliditas perennaturis neceſſariò competit mænibus, quantòque ſpiſſiora ſubſtant pauimenta, tantò ſtabiliora mænia lugubri interitûs ſui næniâ exempta fore ſperantur. Myſticus murus noſter quâ precor innixus ſoliditate conſummatâ magnitudinis ſuæ mole tertium iam ſcandit ſæculum? non aliâ ſanè quàm Diuinâ immobilitate. Ex quo nempe prima bonæ ſpei ſanctæque fidei ſuſcepit rudimenta, non in alio locabat fundo, quàm immenſo rerum Domino.

Iacta

lacta tuorum Babylon raram soliditatem murorum, profecto quidquid etiam carissimum Semiramis ædificat, hostilis mortalium manus, imòque ipsa caries ab imo diuertere & consumere sueuit. Inuictam Dido crederes fore tuam Carthaginem, cùm eò potentiæ eòque vastitatis protensam, vt rigido flamine continuum septemdecem diebus exæstuans Scipionis incendium vix notabiliorem in cineres resoluisset partem, nisi ad extremum diuturna erugo extrema fauillarum vestigia luteà caligine absorpsisset. Tumescit centum portis Pelasgi solium, non inde tamen solidum mortalem Agamemnona immortali nomine Victorem nam euersorem dotat. Ita quoniam interris nihil verè solidum, nihil ex omni parte beatum, Beatus Murus noster soli Diuinæ immensitati aucturus solium, atque inexpugnabile pro Cælitum honore futurus propugnaculum, eam fundi elegit soliditatem, quæ humanis exempta fragilitatibus æterna Diuinæ gloriæ trophæa parit & intendit. Diuturnitatem cuiusque muri non meliùs quæcunq; columina quàm angulares quadratæ sustentant columnæ. Suscepit eas murus noster columnas, quæ non aliud tolerant pondus, quàm Ciuitatem in quadro positam Sanctam Hierusalem, dum generosa indole cuncta fluxa caducaque despiciens, his nonnisi delectari ac inniti cupiebat, quæ in eximium angularis nostri lapidis Christi crucifixi decus omnem actionē inflectunt. Adeste blandientia mundi lenocinia, Persicæ mensæ, Siculæque dapes immodicis aceruis affluite, non Sardanapalum, quia Socraticæ frugalitati assuetum

nostrum

nostrum Curium, non Heliogabalum, quia Christianæ continentiæ deditum Christi Athletam CANTIVM, illa fortiùs implentem quàm jactantem dicta *Mihi mundus crucifixus & ego mundo*, eò magis experiemini, quò pertinaciori constantiâ, carnes appetentem carnem feruenti carne non saturantem sed urentem, inutiles spatiationes desiderantem animum ternâ in spineis Christi pretiosissimo lotis sanguine compitis peregrinatione exsatiantem admirabimini. Quid fortis illa voluntariæ inediæ, disciplinarum, inuidiarum, omnisque mortificationum generis tolerantia aliumne præter Dei amorem indicat? Vidisses siue vt prioritatis exquirebat ratio, siue ut vicissitudo humana exigit, moresne minorum æqualiumue aliquando iustâ corripientem authoritate, aut pro more Academici officij inter mutuos argumentorum fragores leniter detonantem, ecce tibi, non priùs Diuinum quodquam officium aggreditur, nec priùs ostium cubiculi ingreditur, quàm rarum alijs tantæ lenitatis dogma, amplexus inquam reconciliationesque fraternas præmitteret; velut fronte semper aut illud Diuinum sibi cunctisque ingerens: *Vade priùs reconciliare fratri tuo*, aut illud altissimi sui documentum iudicij

Conturbare caue, non est placare suaue,
Diffamare caue, nam reuocare graue.

Lata basium extensio, ita quamuis muri sustentat molem, ut non facilè labare permittat. Murus noster nonne latas imò latissimas futuræ perennitatis suæ ampliauit bases, dum talenta sibi à supremo Arbitro credita ita

 dispen-

diſpenſabat, ut ſuâ extorrem liberalitate, conſilio, ſapientiâ, commiſeratione, ac omnimodæ pietatis genere illum tantùm prætermitteret, quem ſiue juſtiſſima Themis Diuina ſiue peruicax vitæ durities à communione fidelium perenni præſepſit obſtaculo. Mille pietatis ſuæ dum relinquo genera, ſatis pro meo propoſito loquuntur ſapientiſſima in D. Mathæum commenta, eiulantes ancillæ, brumâ rigentes pauperes, Diuinitus abſumpta incendia, ipſorumque inſatiabilis exſatiata tandem latronum auaritia. Galilæum reuolui credidiſſes conuiuium, ſi confidenti in cælos Diui noſtri ſuſpirio (non aliud enim commiſerationis genus obuia permittebat inopia) lamētanti ancillæ effuſum lac ex riuulis Rudauæ reſtitutum guſtaſſes. Faceſſite Thaſiæ, Lesbiæ, Falernæ, Chiæ, Rhodiæ & quæque terreſtre pretium vendicatis ſapitiſque amphoræ, ſolus minimè fallitur ſed optimè alitur guſtus, qui à Diuo noſtro cælitus reſtauratas amphoras cælitus prouiſos haurit liquores Sæuientes quandoque flammas primus Poloniarum Patronus rigaſſe memoriæ traditur. necdum mortalitatis tranſegit metam Diuus noſter, & iam cum immortalibus communicato Diuinæ gratiæ chariſmate, S. Stanislai Præſulis edoctus apparitione præſentia exæſtuantium ignium conſopit, futura prædicit incendia, niſi incenſam ad flagitia vitam torrentibus pœnitentiæ extinguere ac expiare incolæ conentur. Lenior Ionathas ſecus quàm prædixit, fieri præoptabat, magìsq; ſibi clauſtra ceti, quàm horridam populo præoptabat voraginem, ſed tandem nil reſipiſcente hominum ſtatu

Diui-

Diuinâ iustitiâ tempotales exigente pœnas ruitura imò posthac diruta flammis Cracouiæ Pergama sensere, quid opportuno tempore neglexere. Saniorem vitæ curriculum in compescendis quondam pyratis æmulâ virtute Hercules Theseusque transegere, subinde tamen profecere tantùm, quantùm continuò repululantia ilicata recidissent; Diuinior Hercules noster pro cornuta casside, leni usus humilitate, pro ascijs iaculisque, candidæ veritatis obarmatus telo, efferatos in rapinam Busirides non compescit tantùm, sed in insontes innocentiæ cultores eó faciliús efformat,quò liberaliùs celata itineris adminicula reuelat largiturq;. Sinite hìc quanquam aliàs prudenter obstrepere.

Effodiuntur opes irritamenta malorum,

Jamq́ nocens ferrum ferroue nocentius aurum,

dum probus auri usus demonstrat, ipsam quandoque improbitatem probitati haud ægrè commutandam. Accipis congruum Turonensis Episcope de terris encomium de cælis præmium, laceros dum pauperis lacertos præciso cingis pallio; æmulam sed sanctam bonâ Tui veniâ in Diuo meo arguo ast nil redarguo inuidiam, qui ne solus hoc liberalitatis genere fulgeas, ipsis renatiuitatis suæ brumis rigentem supercilio pauperis Christum non præciso ast toto dum velat sui vestimento, mox in vestibulis suis Diuina reuelantem arcana Nati Matrem, palliumque egeno sibi reddentem salutat. O sancta lucri cupido! o inæstimabile mercimonium! pallio exui, cælo indui: temporalia donare, æterna recipere, Frustra im-

 pigor

piger extremos fluitat mercator ad Indos, non eos quos Ganges Pactolusque fundit uniones, sed vnionem omni gemmâ cariorem domi mercabitur IESVM, si extensis inopum dexteris venale pretium mutuò crediderit. Frustra plures Elisei thaumaturgum ab Elia spectatis expectatisque pallium, pallia quæ vestris gestatis lacertis, laceris opemque misericordiæ implorantibus tribuite, & iam non vulgaria quæq; miraculorum genera patrabitis, sed Patrem misericordiæ IESVM matremque MARIAM ritu Diui CANTIJ ad vestra domicilia pellicietis. Tantis ac similibus Murus noster operum extensus pretiis, ubi omnem opacæ caliginis excessit capacitatem, Empyreæ Ciuitati cessurus in augmentum pridie renascentis IESV LI è viuis decessisse meruit, factus in cælos genitæ super terris æternæ lætitiæ prodromus, ut opere ipso cũ tripudiantibus Angelis ingenitam sibi psalmodiis exprimeret naturam, quia anagrammaticè sonans IOANNES CANTIVS, *Nati IESV canson*. Iamne tuos o Diue Tutor deseris clientes? itane o Diua Petra eousque celsos extendis colles, ut in valle periculorum gementibus supremа obstruas fastigia? nequaquam: sed murus quò altior est, faciliùs arcendo hostes, inclusos seruat incolas, ita Diuus quò altiori olympo emeritas virtutum locauit pyramides, eò lucidiùs velut celsior Pharus ad securitatis scopum fluitantibus sereniora euitandorum scopulorum præbet adiumenta. Necessum erat ut ultra octuaginta annorum permensus spatia continuis meritorum auctus incrementis ad ipsum vsque Diuinæ sedis promontoriũ

crescen-

crescentia attolleret iuga, præsensque Diuino intuitui beatissimâ fretus visione præpotenti Domino dulcem gloriæ cælestis cominus reciprocaret ac repãgeret echo, cuius præter mille virtutum genera etiam ipsum Nomen anagrammatico id poscebat mysterio IOANNES CANTIVS *sic venit osanna*; non eò tamen obliuiosam mortalitatis nostræ gustauit Lethen, quinimò velut allisus rupibus sonus sauiori aures demulcet modulamine, pariter voces nostræ, Diuinam quoties solicitant Maiestatem, non placant suauiùs, quàm si Muro huic Diui CANTII patrocinio allidantur. Thaumaturgam Diui Gregorij virtutem veneror, rupem tamen eius nutibus suo motam loco mirari iam linquo, dum alia mihi limpidè liquet rupes Beatus Murus meus, cuius augmenta de profundo soli in solium cæleste non translata sed vsque dilatata pronus reuereor. Iam vestras nunc non terrestres tantùm sed auernales quoque hostes egerite minas, profectò si quando mortali adhuc robore in Diuo Muro nostro allidebamini, unoque Diui huius nutu etiam leues induta hirundines latitantia inferni monstra graui casu conteri confundebamini, nunc quid ars, quid dolus, quid vestrũ proderit robur? dum Beatus hic murus artes cunctasque supergressus fortitudines inuincibili dum immortali potentiâ mortales Christianorum fragilitates circumdat tutaturque. Excelsis olympi rupibus eam ferunt esse malatiam, quæ cunctarum molestam tempestatum effugit malitiam. Infestis tellurisque barathrique quisquis premeris Aquilonibus, cunctis exemptum tempestatibus

Diui

Diui nostri scande fastigium, & sic omni fluctuum liber freto, tutâque fretus quiete, ac omnium immunis malorum, cælesti gaudebis malatiâ. Æger es, & dissoluendorum implacabilem persentiscis dissensionem elementorum, cum octuaginta & tribus ægris tua ad Diui huius monumentum dirige vota, eâ arte pioq; dolo immedicabili artuum dolori adhuc medeberis. Extremo tractam agone retractans cupis retrahere animam, inter sex agonizantes tuam de imo pectore prome fiduciam & iam septimus potenti huius Diui ope, instantia Libithinæ feretra pro libitu differre non valetudinarius valebis. Dirupta mærens si necdum de cælis bene meritus sequeris Atropos fila, non obstat quominùs decimus ultra septimum rediuiua per Diuum nostrum vitæ stamina nectas. Affligeris quâcunque demum tribulatione, domum super hoc Diui propugnaculum cum innumeris clientib9 eius tuo statue desiderio, & iam salua res seuerumq; planctum comiter securus plausus comitatur. Partorum de immanibus Parthis triumphorũ non aliæ vnquam capaciores areæ, quàm excelsa capitolia. Iam murus noster attigit celsissimum Capitolium, munitissimam quia sanctam æternamq; Hierusalẽ. *Si murus est,* (loquar cum canticis) *ædificemus super eum propugnacula*, tumq; hinc Antemurale non irritis votis præoptemus. *Non caret* (si cum Plutarcho sensero) *mænibus ciuitas, quæ non lateribus sed viris cincta est*; nec caret inuictoChristianitas antemurali, pro qua indeffessum Beati Muri nostri excubat præsidiũ. Sternite cum Appio Claudio apta triumphis pauimenta, me hercule cuncta hæc claudicare, nec veros quia instabiles præseferre triumphos eò stabiliùs videntur, quò crebriùs fragili vicissitudine obtentas manubias, rursus manibus hostium extorqueri sibi patiuntur;

Solus

Solus firmo trophæa concredit præſidio, ſolus perrenni triumphos locat monumento, qui cunctâ exempto viciſſitudine Muro noſtro ea dedicat conſecratque. Si tædet jam vetuſta eius patrociniorum pondera in venuſta encomiorum decora reuoluere, at recentes ſaltem de Turcis manubiæ non alium potiorem quàm CANTIUM Authorem loquuntur. An enim tantis tāti Diui meritis tam celſum victoriæ magnanimitatiſq; dogma Sereniſſimus Poloniarum Monarcha JOANNES III. feliciſſimè regnans de cœlis promeruiſſe non potuit? dum ſolenni ſanctioris cuiuſuis Ludouici aut Caroli ritu publicis votis humilibuſq; ad Academicas S. Annæ ædes viſitationibus ac votiuis nouiſſimum Patroni huius quia JOANNES JOANNIS præſidium elegit, implorauit. Erigāt rurſus triumphales vetuſti Capenas, appendant ſuperbis infirma ſpolia Territorijs: Chriſtianitas vniuerſa quidquid hactenus victoriarū manubiarumq; arroganti Othomanorum extorſit Marti, non in vanum rata Tuo B. CANTI munitū præſidio, quem æterna Maieſtas fauentem ac potentem nouiſſimæ viciſſitudini eius deſtinauit, reſeruauit, iamq; magnificauit Patronū, Tuo Antemurali dicat, Tuæq; opis non dubia noſcit eſſe trophæa, dum non Anagrammaticè tantùm triumphas, ſed iam ipſo magis opere *Ioannes Cantius venis Io cantans*. Silete iam licentiosè Indicam Bacchi indicare victoriā, ſilete ſcommaticos geminare Iambos: *Io triambe Bache Io triambe*; dum ipſa Diui noſtri nomina operaque amænius Chriſtianitati congeminant Io, verioreſq; cantant triumphos. O Diuum Antemurale, *eſto nobis turris fortitudinis à facie inimici, fiatq́; pax in virtute Tua & abundantia in turribus Tuis*. Huc huc feruētem felix tanto Antemurali Cracouia, felicior Academia, feliciſſima Polonia totaq; Chriſtianitas dirige immola appende tuorum Hecatomben votorū, & iam fauſtiſſimè cum Iſaia ominor *Occupabit ſalus muros tuos, & portas tuas laudatio:* quia inuictum tanti Antemuralis præſidium occupabit,

DIXI

PRO-

PROGRAMMA

Beatus Ioannes Cantius

Anagramma I.

Nati IESV canſon

Epigramma.

Applaudat reſonans Pœnis crinitus Iopas,
Creſcant Thebarum tecta ſtrepente lyrâ.
Mulceat immites Orphæus plauſibus urſos,
Sæui aſtri Triton claſſica dira canat.
Aſt *Nati IESV canſon* cytharâ ſonat ullâ
Non meliùs, quàm quæ hoc nomine dulcis adeſt.

Anagramma II.

Sic venit oſanna.

Epigramma.

Æmula Graiorum conuiuis tibia pſallat,
Argutiſque lyris ordine plectra ſonent.
Vocalis cytharâq; potens canat alta Philammon,
Muſarum modulans agmina Oſyris agat.
Sic niſi dulce *venit* clarum ſuper æthera *oſanna*,
Candida dum Cantîj Nomina ſuaue ſonant.

Anagramma III.

Venis io cantans

Epigramma.

Mæonij celebrem cantent Agamemnona Vates,
Troia ſi ſpartæ vera trophæa ſonant.
Æolijs rurſum fidibus quæcunque caducum
Odryſiâq; cheli dextra triumphet io.
Cantius *io venis cantans* fauſto alite firmum,
Dum canis immites occubuiſſe Getas.

Cecini.

